

Vh
43

GKR.175. 38



RENOVATA
CONSTITVTIO SCHOLASTICA
PARENTVM CVRAE
IN DISCIPLINA DOMESTICA
COMMENDATA

PROLVSIO
DECLAMATIONIBVS V
IN
ILLVSTRI SCHOLA
ELECTORALI GRIMMANA
A. D. XIV. SEPTEMBR. HORA IX. HABENDIS
P R A E M I S S A
A
IOANNE TOBIA KREBSIO
RECTORE

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA



RENOVATA
CONSTITUTIO SCHOLASTICA
LAURENTIUS CARVE
IN DISCIPLINIS DOMESTICIS
COMMUNICATA
TROFASIO
DECIVATIONIS ET
LAUREATI SCHOLIA
LIBRATORII GRIMANI
AD LIBERATORIUM SCHOLASTICUM
DRAZIMANUS
IOTINNE RHEOTORICUS
NIZOTUS



RENOVATA
CONSTITVTIO SCHOLASTICA PARENTVM
CVRAE IN DISCIPLINA DOMESTICA

COMMENDATA

rodiit nuper Celfissimi Electoris, FRIDERICI AVGVSTI, Patris patriae nostrae Optimi, auspiciis et sapientia, curaque pie veneranda Renovata Constitutio Scholastica, jam diu expectata et sincerissimis omnium bonorum, salutisque patriae amantium ciuium votis expedita, quam vnuquisque hujus rei intelligens iudex facile animaduertet, profectam esse ab ejusmodi viri ingenio, et doctrina, qui ab exquisita literarum cum diuinarum, tum humanarum scientia instructus sit, in ingenii multis, atque iis variis tractandis per multos annos fuerit versatus, atque adeo hujus disciplinac, quae usus plane indocilis est, omnem ambitum, quamvis amplum, animo sit complexus, salutisque et Ecclesiae, et Reipublicae amantissimus, studiosissimusque habendus. Haec Renovata Constitutio Scholastica, nostrorum temporum rationi, antiqua illa, cuius magnum illum CAMERARIUM auctorem edunt, paullo accommodatior et conuenientior, vti docentibus in scholis omne genus officiorum in obeundo munere scholastico religiose obseruandorum, praescribit, grauiterque injungit: ita sapientissimam rationem, viam-

A 2

que

4 RENOVATA CONSTITUTIO SCHOL.

que ostendit, quae eos ducat eo, vt disciplinae suae alumnos accurata Religionis, linguarum doctarum, doctrinarumque cognitione imbuant, teneris eorum animis ea pracepta tradant, ea exempla proponant, eos denique sensus instillent, qui magnam vim, magna incitamenta et adjumenta habere possunt ad totam vitam sancte, integre, beate, et ad commodum publicum fructuose transfigendam. Quae omnia, si, vti fas est, ita ab uno quoque scholae magistro rite, et pro officii religione diligenter, curioseque currentur, atque obseruentur: quanta commoda in Ecclesiam, Rempublicam, societatemque humanaam redundatura sint, vnuusquisque intelligere potest. Evidem, triginta fere annos in munere scholastico non sine voluptate, et forte non sine fructu aliquo publico versatus, nescio fane, an sapiens, eaque prouida Optimi FRIDERICI AVGVSTI nostri cura Ecclesiae, Reipublicae, totique patriae nostrae dilectissimae majus aliquod, amplius munus afferre potuisset, hac ipsa Renouata Constitutione Scholastica. Quod, licet rideant omnes, qui, cum multum sibi sapere videantur, in hac quidem re nihil sapiunt, tamen iterum dico atque contendeo. Nam, cum de verissimo omnium sapientum virorum judicio, ab antiquissimis inde temporibus per omnia secula illustrissimis rerum documentis confirmato, sapiens, prudensque juuentutis institutio et educatio non solum fons, et veluti radix sanctorae, honestaeque vitae sit, sed flos etiam, dignitas, tranquillitas, securitas, salusque Ecclesiae, totiusque Reipublicae ab ea pendeant, cum, quales tenera adhuc aetate homines formati sint, tales fere maturioribus annis per omnem vitam esse soleant, naturaque tenacissimi sint eorum, quae rudibus annis percepent: quod munus amplius, quod praefantius, communique patriae nostrae saluti fructuosius indefessa FRIDERICI AVGVSTI nostri cura afferre potuisset, quam hanc ipsam Renouatam Constitutionem Scholasticam? quippe quae tota non, nisi eo, spectat, vt ea semina pietatis, virtutis, honestatis, doctrinaeque in teneros adhuc animos spargantur, quae subinde fouendo, nutriendoque eo perducantur, vt bonam frugem ferant, h. e. vt sinceros Christianos, viros Ecclesiae, Reipublicae utiles, probos, fidelesque ciues reddant. Quod cum probe perspicerent sapientes, salutisque publicae studiosissimi majores nostri,

PARENTVM CVRAE COMMENDATA 5

nostri, nullis neque laboribus, neque sumptibus in scholis publicis et erigendis, constituendis, tuendisque pepercerunt, rati, vti in feminibus caussae frugum, ita in prudenti, liberalique juuentutis educatione et institutione Ecclesiae, Reiquepublicae salutem latere. Quare hoc munus, a FRIDERICO AVGUSTO nostro Optimo toti Saxoniae allatum, gratissimo animo est agnoscendum et in maximis, amplissimisque ponendum. In vniuersum alicujus beneficii magnitudo inter alia his duobus cernitur, quorum alterum est in numero effectorum, alterum in ipsius beneficii duratione. Nam quo latius aliquod beneficium patet, quo plures in ejus veluti societatem veniunt, quo diutius durat, sive veluti usuram retinet, eo majoris aestimandum, in majori pretio habendum, animoque gratiore est agnoscendum. Hujus igitur beneficii Renouata Constitutione Scholaistica nobis tributi, amplitudo cum sit tanta, vt non vnum et item alterum ciuem, non vnam et item alteram ciuitatem, non vnum hominum ordinem attingat, sed in omnes Saxoniae ciues, et in totam patriam fese diffundat, neque angustis vnius aut alterius anni finibus circumscripta contineatur, sed, de sapientissimo quidem sapientissimi FRIDERICI AVGUSTI nostri consilio, per longam annorum feriem, et ad feram usque posteritatem duratura sit: quis tam parum gratiam, magnitudinemque beneficiorum capere possit, et quis tam durus, obtususque ad omnem grati animi sensum sit, quin hoc tantum beneficium, Ecclesiae, et Reipublicae, totique adeo patriae longe fructuosissimum, et in aetatem etiam infecuturam duraturum, agnoscat, agnitumque pro dignitate, praestantiaque sua rite aestimet, riteque aestimat grato et ore, et animo celebrandum veneretur? CICERO quidem^{*)}, eo loco, vbi de rebus bellicis et urbanis exponit, et utriusque rei contentione facta utilitatem ostendit, disputat in sententiam hanc, vt Themistoclis viatoriam clarissimam, cuius testis fuit Salamis, longe, multumque postponat ei SOLONIS consilio, quo primum constituerit Areopagitas, ratione verissima addita hac; Illud enim (vtamur ipsius Tullii verbis) semel profuit, hoc semper proderit ciuitati. Hoc consilio leges Atheniensum, hoc majorum instituta seruantur. Et Themistocles quidem nihil dixerit, in quo ipse Are-

A 3 pagum

*) Lib. I. Offic. c. 22.

6 RENOVATA CONSTITVTIO SCHOL.

pagum adjuuerit; at ille adjuuit Themistoclem. Quo plures igitur alicujus beneficii participes flunt, et quo diutius ejus usura durat, eo majoris id ipsum est aestimandum. Non curo hic viros, alta et diuina quadam mente praeditos, qui non nisi magna crepant, minutulasque res fastidioso stomacho auersantur, qui vbi de rebus scholasticis aliquid legunt, nugulas se legere putant, aut vbi de scholarum magistris loqui audiunt, nescio quod miserabile et contemptibile hominum genus somniant. Hi aeque minus hanc Renovatam Constitutionem Scholasticam curabunt, et in pretio aliquo habendam putabunt, ac ego canes venaticos, leporumque venationes. Loquor hic de iis, qui paullo intelligentiores, aequioresque sunt in pretio, rebus, communem utilitatem attingentibus, ponendo. Et sane, quo quis studiorum verae salutis liberorum suorum, quo amantior patriae, quo cupidior boni publici est, eo magis sincerissime optabit, et pro sua quisque facultate in eo laborabit, vt haec Renovata Constitutio Scholastica vbiique et semper vim suam, auctoritatemque obtineat, ad ejusque normam prudens juuentutis educatio, liberalisque institutio et conformatio ad veriae pietatis sensum concipiendum et studium, ad accuratae doctrinae cultum, et ad honestorum, venustorumque morum elegantiam fideliter, religioseque componatur. Neque vero hujus rei tam grauis, totique patriae tam fructuosae cura ad scholarum magistros tantum pertinet, sed etiam aliis, parentibusque in primis injuncta et commendata esse debet. Nam, si verum est, vti est verissimum, nec in ullam dubitationem adduci potest, hominum generi nihil dulcius, cariusque datum esse, quam suos cuique liberos: et si ipsius Naturae auctoritas et veluti vox commendabili aliqua gratia nos inuitat, quin blanda quadam vi cogit, vt, quibuscum vel cuiuscunq; necessitudinis, vel necessitatis adeo vinculo juncti continemur, eorum rationibus pro sua quisque facultate consulamus: debent sane parentes per suam fibi habere, in primis, et grauissimis officiis, ab ipsa Natura iis demandatis ponendum esse hoc, vt liberi cum domestica, tum publica in scholis disciplina ita contineantur, ita instituantur, et formentur, vt, quos suos aliquando videre cupiant, h. e. florentes, felices, beatos, eos etiam esse non sine humanissima animi voluptate cognoscantur.

PARENTVM CVRAE COMMENDATA

7

cognoscant, atque adeo quos, vt liberos, amare necesse sit, eos etiam libenter ament. Et haec quidem liberorum cura hac nostra aetate, intam corruptis moribus, praecipue commendata esse debet. Nam, quo magis haec aetas nostra ad omnem mollitatem, ignauiam, laboris fugam, ad iners, ignauumque otium, atque exinde fere redundantem male agendi licentiam proclivius est, quo magis verae Religionis cognitio neglecta jacet, virtutisque studium friget: eo magis curiosi, sollicitique esse debent de prudenti, honestaque liberorum educatione, liberalique institutione, eo magis eorum animos, teneros adhuc, adeoque ad virtutis praecpta molliores et sequaciores prudenti disciplina domestica, veluti salutari aliquo *ἀλεξανδρίᾳ*, praemunire, ne prauae consuetudinis, indies magis, magisque inualescentis, vi, et veluti torrente abrepti, prius male agere discant, quam intelligent, et vitia in scholas publicas potius secum afferant, quam inde auferant. Nam profecto, paruin prosit Sapientissima, eaque Saluberrima Renouata nostra Constitutio scholastica: parum leges, in ea scriptae, longe saluberrimae valeant: parum prospere succedat opera et studium doctorum in scholis, bene constitutis, in juuentute instituenda et formanda, positum, nisi liberi prius tenera adhuc aetate honeste, prudenter, liberaliterque fuerint instituti atque ad honestos, nobilesque sensus capiendos formati, quam magistrorum scholarum cum aliarum, tum Electoralium, quae nobis, hanc Commentatiunculam scribentibus, praecipue obuersantur, fidei, curae, doctrinaeque committantur. Nam, vt recte aliquo loco PLVTARCHVS disputat, vt infantum membra corporis statim ab ipsis natalibus fingenda sunt, vt recte adolescentes neque distorqueantur, ita animi et mores a tenera inde aetate componendi sunt. Nam memoria praceptorum honestatis, rudibus animis impressa, proficitur in senectutem. Quare auctor, suasorque sim parentibus, salutis liberorum suorum amantibus et studiosis, tum iis in primis, qui suo tempore filios institutioni in schola quadam Electorali concredere volunt, vt hanc Renouatam Constitutionem Scholasticam quam diligentissime legant, ad ejusque normam et disciplinam filios suos aut ipsi instituant et forment, aut, si hujus rei neque facultas, neque tempus suppetat, per vnum aliquem magistrum,

magistrum, integritate vitae, morum honestate, doctrina, docendi et facultate, et industria cognitum, instituendos, formandosque a teneris fere vnguiculis current. Scilicet magna educationis vis est in vtramque partem. Nam, vt recte FABIVS ille, optimus juuentutis instituendae, formandaque magister, judicat, *natura tenacissimi sumus eorum, quae rudibus annis percipimus, ut sapor, quo noua imbuas, durat, nec lanarum colores, quibus simplex ille candor mutatus est, elui possunt.* Quod quo studiosius parentes faciunt, faciliusque facere possint: hac Prolusione actui oratorio solemni, praemittenda, quo Illustris Moldani, nostri, cui Deus semper faueat! ante hos CCXXIV. annos aperti et constituti, dies Natalis grata piaque mente recolenda et celebranda est, laudatissimam hanc Renouatan nostram Constitutionem Scholasticam diligentissime commendare instituimus, praecipuis ejus capitibus laudandis, vt hac veluti gustatione inuitati integrum sicutem ad ipsam hujus Constitutionis Scholasticae diligentem lectionem secum afferant. De qua re cum jam anno superiori, recenti adhuc de illa sermone, exponere constituimus: tamen morbo, perquam graui et pertinaci, diuque ancipiti, et vix, ac ne vix quidem eluctibili oppressi, cuius velut fibrae ne nunc quidem penitus elisae sunt, hoc consilium nostrum in aliud tempus differre cogebamur. Nunc autem, veluti *deuterogenitos*, mihi, scholaeque nostrae redditus, illud non putaui differendum. In tota autem hac disputatiuncula non id consilium fecuti sumus, (vt forte quis cauillari possit) vt parentes doceremus, qua via et ratione in instituendis, formandisque liberis incedere debeant, (arrogantis enim, et paedagogico fastu inflati hominis id esset) sed vt breuiter ostenderemus, qua ratione institutos, formatosque liberos haec nostra Renouata Constitutio Scholastica scholis Electoralibus committi velit. Vehementer optamus, vt, quod consilium in hac Prolusione scribenda fecuti sumus, id assequamur, h. e. hac opella nostra id efficiamus, vt parentes ipsi mature disciplina domestica filios suos, vt debent, ita instituant atque forment, sicutque institutos et formatos ad nos mittant, neque, vt fere sit, ubi scholae alicui Electorali tradiderint, in futurum securi omnia ejus scholae magistrorum curiae, labori, molestiisque adeo relinquenda arbitrentur.

Quoniam

PARENTVM CVRAE COMMENDATA 9

Quoniam autem in hac disputatiuncula saepe voce *disciplinat* nobis vtendum est: relictis omnibus id agendum videtur, vt, quam vim, potestatemque huic voci subiectam hic velimus, moneamus, eaque re omnem verbi ambiguitatem, erroremque ex hac Prolusione sublatum proscribamus. Errant enim, et vehementer errant, qui *disciplinae* verbum tantum ad *cavillationes* per vim, poenasque referendum, et, audita disciplinae voce, nescio quid mali et tremendi portendi arbitrentur. Multi sane, vbi de disciplina, scholastica inprimis, disputari audiunt, tristem, acerbamque recordationem illius temporis renouant, quo plagos aliquos Orbilii, virgarum fauce, baculoque armati, atroci imperio subiecti interdum partes post tergum denudare, et vindicatrices, nimiumque in ea re officiosas manus iracundi magistelli subire, verberumque pondus fustinere cogebantur. Haec est causa, quod multi ad *disciplinae*, *scholasticae* in primis vocem vel lectam, vel auditam, veluti ad insaustum quoddam omen, horrescant. Sed haec quidem *disciplinae* notio tristis ex hac tota disputatiuncula nostra exsulet proscripta. Scilicet, vt alio quodam loco dicebamus, vocabulo *disciplinae* hanc vim, potestatemque subiectam volumus, vt sit sapiens quadam, et prudens ratio, pueros et juuenes, quos pro officiis religione institui et formari necesse est, honestis artibus, consiliis fidelissimis, admonitionibus amantissimis, crebris recti honestique praceptis et exemplis, miti etiam severitate, si rei necessitas exigat, ita regendi, honestatique sensim ita assuefaciendi, vt, quod ipsorum officii sit, id amore virtutis, potius, felicitatisque suae studio ducit, quam poenarum metu coacti faciendum sibi arbitrentur. Et sic jamdudum PLATO, summus ille sapientiae magister Lib. I. et II. de Legg. docuit, *Disciplinam* nihil aliud esse, nisi rationem quandam, quae animos ad virtutis amorem, vitiorumque odium adducat. Omnino, e Latinorum quidem vsu loquendi, vox *disciplinae* propriam sedem habet in ratione quandam et methodo, actiones cum internas, tum externas sapienter regendi, honesteque formandi, non autem, vt vulgo putant, ad *cavillationes* tantum et poenas seueras referenda est, atque restringenda. Et haec quidem disciplina, vera virtutis magistra, felicitatisque cum publicae, tum priuatae veluti parens, qua homines, liberali quadam adsuetatione, in officio continentur, quam paullo ante descripsimus, vti doctoribus in scholis publicis,

B

ita



10 RENOVATA CONSTITVTIO SCHOL.

ita haud scio an multo magis parentum curae in educatione et institutione domestica commendatissima esse debeat. Frustra enim plerumque scholarum magistri in pueris, juuenibusque, eorum curae, fidei, doctrinaeque commissis, instituendis, formandisque operam et studium ponunt, nisi antea disciplina domestica sapienti et prudenti instituti fuerint atque formati. Quare omnes parentes, quibus vera liberorum suorum salus curae, cordique est; amantissime rogamus, vt, ad quod officium eos spes futurae fortunae liberorum suorum inuitare, ipsa necessitas cohortari, blanda denique amoris naturalis vis propemodum cogere debet, id in disciplina domestica fideliter, religioseque sequantur, eaque re efficiant, vt suo tempore liberos suos doctoribus in scholis publicis, prouincialibus in primis, eos committant, quos et hi magnopere optent, et ipsi commissos vehementer cupiant. Quod quo lubentius, curiosiusque faciant, majoremque eorum liberi ex institutione publica in scholis fructum percipere possint: age, praecepit Renovatae nostrae Constitutionis Scholasticae capita in hac Prolusione, veluti in exigua aliqua tabella depicta, per transensem spectanda proponamus.

Omnia omnino, quae in hac nostra Constitutione scholastica traduntur, doctorumque in scholis publicis cum aliis, tum Electoralibus in primis, fidei, curaeque grauissime injunguntur, ad quatuor velut capita reduci et reuocari possunt, quorum *primum* spectat ad Religionem: *alterum* ad ingenii culturam: *tertium* ad sensus nobiles teneris adhuc juuenum animis instillandos: *quartum* denique ad morum venustatem, cultusque munditiem. Quae omnia cum ad pueriles, juuemalesque animos instituendos formandosque perquam salubria et necessaria sint: operae pretium fuerit, de singulis paullo enucleatius disputare, quantum quidem angustiae, quibus haec Prolusio includenda est, capere posse videantur.

Iam primum, Religio, qua nihil sanctius et venerabilius, nihil carius vnicuique esse debet, pro qua, si necessitas exigat, vitam ipsam profundere non dubitare debemus, Religio, igitur, omnium prima est, cuius non solum cognitione vera, sed sensu etiam teneri adhuc animi sunt imbuendi. Ipsi Gentiles, quibus sapientiae diuinae lux non adfulsit, agnoverunt, (vid. POLYBIUS VI, 54. et

CICERO

CICERO de Legg. II, 7.) nobis ab ipsa Natura insitum esse quendam naturae diuinæ sensum, cuius nutu omnes res humanae regantur, cuius pietate et cultu salus et publica, et singulorum ciuium contineatur. Itaque liberis suis a tenerima inde aetate veluti cum lacte materno instillarunt hoc, ut sibi persuasum haberent, nihil prius neque publice, neque priuatum esse suscipiendum, quam Deorum Numen propitium vel precibus, vel sacrificiis sibi reddidissent. Hoc cum Gentiles, vera literarum sacra rum luce non collustrati fecerint: quid nos Christianos facere oportet? Hujus rei, praecipuae sane, longeque grauissimæ, cura si, vt nimis saepe fit, in tenera aetate instituenda neglecta fuerit: tristis experientia docet, e pudenda ista Dei, rerumque diuinarum ignorantia succedente tempore infauastam illam omnium Religionum *αδιαφορίαν*, contemptum verae Religionis, cultusque diuini oriri, qui infelix fons est detestandæ istius, si non manifestæ, tacitæ tamen, rebusque ipsis non obscure declaratae, irrisioñis literarum sacrarum, omnisque Religionis nostræ facrofanctæ, quæ certissima via est, quæ iftos infelicissimæ conditionis homines ad extremam perniciem sensim ducit, atque in deplorandam miseriam detrudit. Ferax est, nimirumque ferax aetas nostra tristissimis, iisque maxime horrendis exemplis istorum infelicissimorum hominum, qui vel ad extremam omnium rerum inopiam redacti, vel cum alia quacunque fortuna aduersa confligati, et ad incitas redacti, dulcissimo autem illo, eoque firmissimo solatio, quod Religio in omnibus calamitatibus, quamvis gravibus, suppeditat, penitus destituti, exemplo infelicissimi illius Iudæ, miserrime periere. Adeo multum et necessarium est, a tenera inde aetate verae Religionis cognitione et sensu imbuvi. Debent igitur, vti doctores in scholis, ita parentes domi in officiis suis primis et praecipuis ponere hoc, vt aut ipsi, aut, si ejus rei neque facultas sit, neque negotiorum, quibus distringuntur, multitudine et grauitas concedat, per vnum aliquem magistrum idoneum Religionis, rerumque diuinarum cognitione liberos suos mature imbuendos curent. In quo quidem hujus institutionis cura non his finibus concludi debet, vt teneris animis leuis tantum, vaga et incerta hujus rei grauissimæ cognitio, non, nisi memoria fida sine intellectu percepta instilletur, sed eo dirigenda est, vt, quae

12 RENOVATA CONSTITVTO SCHOL.

teneri illi animi memoria comprehendenterint, ea mente etiam et intellectu, quatenus nempe ista aetatula hujus rei capax est, percipient, adeo, ut omnia hujus sanctissimae doctrinae praecepta sensim, sensimque alte in pectus descendant, studiumque ad officia, homine christiano digna, obseruanda accendant. In quoquidem multum proderit, non in vniuersum solum de Religione, ejusque diuinitate et praestantia oscitanter et quasi aliud agendo iis aliquid tradere: sed adjungere etiam hoc, ut doceatur, Religionem cum in se, tum qua objectum, circa quod versetur, spectari et posse et debere. Neque vero hoc nude et simpliciter dicendum, sed docendum etiam est, objectum Religionis esse Deum, ejusque venerandas perfectiones et virtutes, majestatem vniuersam, leges, instituta et consilia, illud in primis, quod immensa misericordia ductus ab aeterno cepit, toti generi humano longe saluberrimum, de hominibus, ex ista deploranda, et in omnem aeternitatem duratura miseria, in quam per praeuaricationem et contumaciam protoplastrorum detrusi erant, liberandis, et insummam illam, nunquam interituram salutem et felicitatem, per Christum partam, veluti postlimino restituendis. In quo largam segetem habebunt, vti de immenso illo, et nulla mente humana comprehendendo amore Dei erga totum genus humanum per filium suum, pro nobis traditum, declarato: ita de ejus perfectionibus, virtutibusque, venerabundo animo adorandis, v. c. sapientia, benignitate, omniscientia, omnipraefentia, sanctitate, justitia etc. disputandi. Haec oratio, creberrime, et cum studio, tantae rei debito, repetita, sensim, sensimque eam vim in animis teneris habebit, ut non solum verum amorem erga Deum, tam potentem, benignum et munificum Patrem, cui quippe omnem felicitatem suam debent, sed tantam etiam venerationem, verecundiamque concipient, vt diligenter caueant, ne quid consulto, dataque opera committant, quod tam venerandi Patris, non minus sancti et justi, quam benigni et munifici voluntati, praeceptisque sanctissimis et saluberrimis aduersetur, non nescii, hunc Deum non solum testem et judicem omnium actionum nostrarum praesentem, intimos adeo animorum nostrorum recessus perscrutari et rimari, sed seuerissimum etiam peccatorum vindicem esse. Multum quoque in hac re, in hoc instituendi studio

PARENTVM CVRAE COMMENDATA 13

studio proderit, liberos mature adsuefacere animaduertendis, agnoscendisque vestigiis prouidentiae, sapientiae, benignitatis, sanctitatis, justitiaeque diuinae. Quod quidem commodissime, et sine ullo negotio fieri potest, si parentes suos ducunt v.c. veris, aestatisque tempore in hortos, diueritate florum, oculos animosque mirifice capientium, exsplendefcentes, in agros, laetis segetibus luxuriantes, largamque messeim, quae colonoruim votis quamuis auaris, respondeat, ostendentes: si, tremendo tonitruum fragore audito contremiscere eos animaduertant, multis que aliis ejusmodi occasionibus. Amplius enim, atque is amoenissimus et vberrimus campus hic patet, in quem excurrere possunt. Nam cultus, Deo praelatus, cernitur in hoc, si notitia majestatis, potestatisque Dei in nos, totumque hoc vniuersum, ejus potentiae, sapientiae et bonitatis, et exinde orta pietas, reuerentia, amor, et fiducia in eum cum in intellectu, tum in animo nostro, actionibusque nostris exterinis vim exserit suam. Vix dici potest, quantum utilitas et commodi per omnem vitam ad profectus in pietatis, virtutisque studio faciendo haec in Religione instituendi ratio, saluberrima illa, et facillima, in animis teneris habeat. Nam sua quenque experientia, suis quenque sensus docet, quae tenera adhuc aetatula fuerint impressa, ea nunquam fere deleri, sed succedente tempore ita confirmari, eas veluti radices agere, vt vix eradicari, penitusque euelli posse videantur. Quodsi parentes hanc instituendi rationem, hoc studium in tenera adhuc liberorum suorum aetate, vt nimis saepe fit, susque deque habuerint: videant, ne liberi, adultiores facti, Religionem, rerum omnium sanctissimam, et omnibus, quae in summis bonis humanis ponuntur, multo pluris ducendam, aut callido ingenio humano ad illudendum credulitati infimae plebeculae fictam et excogitatam existiment, aut parum reuerenter certe de ea sentiant, ejusque pracepta adeo parum curanda sibi arbitrentur. Quod quidem non est, quod multis, iisque sollicite, collectis rationibus probandum putemus. Res enim ipsa loquitur, et innumeri Religionis contemptores, et irrisores adeo, quorum aetas nostra nimis largum prouentum tulit, hujus rei tristissimi sunt testes. Neque vero satis est, parentes liberis suis objectum Religionis cogitum reddidisse, de eo crebro et reuenter locutos

B 3 esse,



esse, ejusque notitia eorum animos imbuisse: sed, officii sui esse credant et hoc, vt doceant, Religionem ipsam cerni non solum in vera, eaque certa cognitione Dei, ejus majestatis omnium perfectionum et virtutum, paullo ante commemoratarum, sed etiam in cultu Dei ad hanc cognitionem, scientiamque accommodato et composito, quem literae sacrae per εὐσέβειαν seu vniuersam pietatem, fidem in Iesum Christum, vna cum ejus comitibus, fructibus, exinde redundantibus, exprimere solent. Et haec quidem Religionis cognitio eam vim habebit, vt teneris adhuc animis sensus etiam, homine christiano dignos, sensim, sensimque ingeneret, ita, vt certissime credant, sine Religione neque villam animi tranquillitatem locum habere, neque villam felicitatem hujus, multo minus illius aeternae vitae sperari vnuquam posse. Quae res, si cum reuerentia, grauitati hujus tantae rei debita, et cum pectore, quod in primis hic disertum facit, traditur, efficiet hoc, vt cum voluptate quadam faciant, quae sanctissima Dei voluntas exigat, contra ea omnia, quamvis grata prauis libidinibus, siue a Natura institis, siue aliorum illecebrarum veluti lenocinio excitatis, a maiestate autem, sanctitateque Dei abhorrentia diligentissime fugiant, concitatura quippe justissimam ejus iram. Quid? quod haec Religionis cognitio iis opinionem, certissimamque animi persuasionem afferet hanc, vt credant, quidquid nobis acciderit, quamvis triste et acerbum humanae naturae, id nobis auctore sapientissimo, atque eo benignissimo, salutisque nostrae verae studiosissimo patre accidere, qui in calamitatibus etiam immisiss non, nisi salutem nostram spectet. Illud quoque in hac re per quam salubre et frugiferum fuerit, studiofissime agere hoc, vt liberi persusum sibi habeant, leges diuinis, omniaque omnino instituta diuina, quamvis ingrata et dura corruptae naturae humanae videantur, non esse, nisi mera, eaque saluberrima beneficia, quibus vera salus nostra, felicitasque contineatur, eaque adeo omnibus aliis bonis humanis, quamvis magnis et expetendis longe multumque praferenda, omnesque cupiditates, utilitatesque nostras esse postponendas. Hac ratione in Religionis cognitione liberi a tenerrima inde aetate instituti tantam reuerentiam sensim, sensimque concipient, vt omnes ejus aduersarios, contemptores et irratores pro communibus, iisque

iisque capitalibus totius generis humani hostibus habeant, studiosissimeque caueant, ne adultiores facti aut pestiferorum librorum, contra Religionem admonitu et veluti obstetrici Diaboli opera effusorum, veneno infecti, aut male sanorum hominum, de ea pessime sentientium et garrientium, fermone, veluti graui contagione tacti, corrumpantur. Paullo copiosiores, fusioresque in hoc loco tractando fuimus, quod vti rei ipsius dignitas exigit, ita necessitas a nobis expressit. Nam de Religione, ejus praestantia, magnaue in omnem vitam nostram vi non, opinor, ineptum sit, paullo copiosius disputare, et parentes, eos in primis, qui filios suos scholae nostrae Electorali instituendos suo tempore committere volunt, muneris in hac re sui amanter admonere, necesse videatur. Nam saepe non sine indignatione quadam, nec sine justo dolore animaduertimus, filios nobis traditos esse, in tam crassa et pudenda ignorantia initiorum doctrinae christianae adhuc versantes, quam vix in bajulis, aut velulis, decrepitisque aniculis deprehendas. Et mirabimur, si tales pueri, qui ne leuem quidem Religionis, rerumque diuinorum cognitionem, nedum sensum in scholas afferunt, succedente tempore, annisque maturioribus eum veluti callum obducunt, et ad Religionis sensum ita obdurescunt, vt, neque justitiae divinae vtricis admoniti, neque minarum, e scriptura denunciarum, metu deterriti, nec denique poenarum vinculis coerciti, ad meliorem frugem, adque officium perduci possint suum? Non hic est locus, justas, et ab ipsius rei indignitate quodammodo expressas querelas fundendi, quamquam id nulli forte facilius sit condonandum, quam scholarum magistris, quibus saepe, quod aliorum siue coeca et sopita socordia, siue inepta, et quodammodo crudelis erga mellitulos filiolos indulgentia intrivit, id exendum, bonoque et firmo ventriculo concoquendum est. Ad alia igitur pergamus.

Alterum, in quo cura, studiumque parentum in disciplina domestica filiorum, quos quidem aliquando scholis publicis, et Electoralibus in primis tradere constituerunt, versari debet, spectat ad *ingenii culturam*, vt tales sint, quales, de Renouatae Constitutionis scholasticae auctoritate, esse debent, qui in censem

sum alumnorum Electoralium referri velint. Hic vero, relictis
 omnibus, videndum, ipsisque rerum documentis cognoscendum
 est, an filiorum ingenii non solum ea bonitas, ea facultas, quae
 ad bonas literas rite, et cum felici successu colendas requiritur,
 sed ea etiam propensio, id studium inst, quod spem non falla-
 cem huius rei feliciter et fuscipienda, et perficienda facere
 videatur. In quo quidem parentibus fidelissime suadeam hoc, vt
 si cognouerint, filios suos bonis literis colendis non natos esse,
 eorumque naturalem stuporem ad hanc quidem rem esse eum,
 qui nulla arte expugnari posse videatur, eosque naturali quadam
 indole a literis discendis plane abhorrente, et ad quodus potius
 vitae institutum, quam ad literas, studio ferri: eos nullo modo,
 neque blandis verbis, neque spe magnorum honorum consequen-
 dorum, neque minis atrocibus, paternaque auctoritate ad literarum
 studia inuitos, reluctantibusque trahant, sed alii cuidam
 vitae instituto, ad quod et ingenium, et studium inuitet, conse-
 crandos arbitrentur. Sapientissime sane quaedam lex Renova-
 tae nostrae Constitutionis scholasticae Cap. 2, §. 9. Rectori im-
 ponit, iniungitque hoc, vt, si quis Recipiendus tradatur ingenio ad
 literas colendas minus idoneo, is ne admittatur, aut, in quo disciplinae
 Alumno, uno vel altero anno exacto, nulla neque ingenii facultas, neque
 propensio, bonas literas colendi, fuerit cognita: id diligenter curetur,
 vt is, superiorum auctoritate, quamprimum e schola dimittatur, alii vitae
 generi mature consecrandus. Et profecto, nihil miserabilius, nihil
 majori oneri est Reipublicae, quam homo, qui literarum studiosus
 quidem audit, ipsarum autem literarum tam rudis et expers est,
 vt ne ludimagistri quidem in uno aliquo pago paruolo vices, in
 miserabili aliqua conditione, obire possit, atque adeo vicatim
 errare, stipeinque petere cogatur, vt latrantem stomachum,
 importunum illum admonitionem, acerbumque debiti exactorem,
 quicum ei semper res est, placare possit. Hic vero multorum
 parentum siue imprudentiam, siue lubidine mirificam admirari fas est, qui, cum vel ipsis cognouerint, vel si pro naturali
 amore, saepe tenebras menti obducente, in transuersumque
 auferente, non potuerint, per alios saltem, in ea re minime
 cupide judicantes, didicerint, filium nulli rei discendae minus,
 quam bonis literis tractandis, natum esse: tamen, siue natu-
 rali,

rali, sed hic quidem perquam inepto, maximeque noxio, amore ducti, siue gloriolae vanae cupiditate impulsi, siue alia quacunque causa commoti, eum ad bonas literas descendas, quamvis iniuitum et reluctanter, cogunt, et paternaes auctoritatis vi quodammodo trahunt, causam interferentes hanc: *aliquid tamen dicit: aut, ingenium vires suas ante maturitatem non exserere, seu, ut vulgo exprimunt, intellectum non ante annos venire.* Eniinvero, vti ex illo *aliquid* plerunque fit *nihil*: ita vbi ista spe, dulci illa quidem, sed perquam deceptrici, veluti suauis insomnio illusi, filium suum magistris scholarum publicarum tradiderunt, a die in diem sollicite expectant, dum venerint illi sperati anni, *quibus intellectus venire debuisset*. Sed boni illi parentes tandem, nimis sero autem, sentiunt, se *illos annos*, *istum filii intellectum* non aliter expectasse, ac Iudaei etiamnum alterum Eliam suum expectant, et tandem in has voces erumpere coguntur: *hoc non putaram*. Haec profecto non ludendi, multo minus illudendi animo diximus, (quod et a moribus nostris valde abhorrens, et in hac re tam feria et graui perquam ineptum sit:) sed vt diligentem, prouidamque curam parentum, qui quidem filios suos scholis publicis, Provincialibus in primis, in quibus plus cum a docentibus, tum discentibus, quam in aliis, requiritur et exigitur, aliquando instituendos, formandosque committere volunt, excitemus, diligentiamque in explorandis filiorum viribus ingenii acuamus. Neque vero in hac re tam acerbūm ne quis, tamque rigidūm ingeniorum Censorem putet, vt, non nisi summa, et felicissima, ingenia, (quod nec mihi obtigit) literarum studiis conservari velim. Nam profecto mira tum bonarum literarum cultorum paucitas, mira inopia esset futura eorum, qui munericibus publicis, in quibus rite obeundis literarum intelligentia necessario requiritur, admoueri possint. Ipse saepe tacitus suaviter risi nouam, eamque coelo, nescio quo, delapsam sapientiam eorum, qui ante aliquot annos, nescio cuius insomniī admonitu inducti, hoc publice constitui, decernique magnopere cuperent, vt multitudo cultorum literarum imminueretur, et, rusticorum, aliorumque de infima plebe filiis ab hoc honesto vitae instituto penitus exclusis, facultas bonas literas colendi non nisi magnorum, et in re lauta constitutorum hominum libe-

18 RENOVATA CONSTITUTIO SCHOL.

ris, veluti aeterna possessio, concederetur, omnibus aliis autem aditus ad haec veluti sacra interseptus denegaretur. Nihil fane vidi acutius! Quasi vero benigna et munifica Natura dotes suas eximias tantum in magnorum, opulentorumque hominum filios effundere, rusticorum autem, aliorumque de infima sorte hominum liberos ad omnem illiberalitatem, seruilesque fordes ita abjicere et detrudere soleat, vt nullius rei, nisi arandi, aut boues, suesque pascendi facultatem habeant. Qui non plane oscitans rerum humanarum in hoc mundo, veluti in spectaculo, spectator est, is saepe cognouerit, necesse est, saepissime pueros, juuenesque e tugurio protractos, succedente tempore ad amplissimos honores euectos Ecclesiae, totique Reipublicae cum voce, tum scriptis ea officia praestitisse, quae nomen eorum ab obliuionis injurya vindicarent. Omnino, temere, et inconsiderate agere videntur, qui certum quendam numerum constitueret cultorum literarum, earumque jus et veluti possessionem non nisi vni cuidam hominum generi assignare, et propriam, perpetuamque facere volunt. Ego quidem, per triginta fere annos in ingenii multis, atque iis variis tractandis versatus, cognoui, tenuiorum parentum filios saepe plus in literarum studiis profecisse, posteaque Ecclesiae, Reique publicae plura et majora commoda attulisse, quam opulentorum, et in magna dignitate constitutorum. Neque difficilis ad intelligendum ejus rei causa est. Nam, vti tenuis fortis hominum filii nulla adjumenta ad fundamenta fortunae futurae jacienda habent, quam ingenii bonitatem, diligentiaeque affiditatem, hisque honestis artibus prae caeteris eminere student: ita magnorum, opulentorumque liberi et sperandis opibus et cognatorum, affiniumque potentibus suffragationibus confisi plerumque (nam de omnibus omnino tale quid effutire, impudens et contumeliosum sit) bonas literas haec teius colunt, vt eas coluisse dicantur. In vniuersum, si dicere licet, quod res est, praefat, multos, non omni ingenii facultate, propensioneque destitutos quam paucos literarum studiis consecrari. Nam in magno numero facilior, feliciorque dilectus est, quam in exiguo: et ipse, rerum vsu per multos annos edoctus, cognoui, mediocria, et tarda adeo ingenia saepe felicius et longius in literarum cursu esse progressa,

PARENTVM CVRAE COMMENDATA 19

progressa, quam felicissima, et ad omnia percipienda, siue potius arripienda a Natura facta, cum illa, quod Natura paullo malior denegasset, id improbo labore, contentionequa acerrima refarcire studerent: haec autem, felicitati ingenii vni confisa, omnia ei secure relinquenda existimarent. Sed vnde disputatio digressa est, eo redeat. Scilicet eramus in eo, vt parentibus fidelissime suaderemus explorationem, et veluti spectacionem ingeniorum filiorum, literarum studiis consecrandorum. In quo quidem non volebamus ingenia, non, nisi summa et felicissima: sed hoc volumus, et propensiones, et ingenia quauis ratione tentanda, spectacionequa veluti facta exploranda esse, apta et idonea sint literis bonis cum fructu colendis, nec ne. Hoc enim si vel ipsi parentes perspexerint: siue per alios, quorum in hac re aliqua notio est, cognoverint, auctor, suasorque iis sim, vt filios suos alii cuiuscunque vitae instituto potius, quam literarum studiis consecrent. Nam isto pertinaci consilio suo nihil aliud efficiunt, quam vt sumptus frustra impendant, praceptoribus docendi, instituendique laborem molestum et acerbum reddant, suosque filios, aliquot annis in schola transactis, aequre inanis exinde redire videant, ac in eam venerunt. Quodsi autem vel ipsi, vel per alios, elegantes in hac re, minimeque cupidos judices, cognoverint, filii suis, quos maturioribus annis scholae cuidam Electorali commissuri sint, neque studium, neque ingenium, bonis literis cum fructu tractandis idoneum deesse: fidelissime suadeo, vt diligentissime current hoc, vt filios suos, eos annos consecutos, quibus ad intelligendi, percipiendique aliquaid usum peruerenterint, memoriaeque vis inprimis valeat, initiis linguarum doctarum, latinae et graecae, rite imbuant, aut per unum aliquem magistrum idoneum imbuendos current, quae in scholam aliquam Electoralem, de Renouata Constitutione scholastica, secum afferre debent. In hac Constitutione C. 2. §. 9. Rectori inter alia injungitur et hoc, ut ne quem puerum in numerum Alumnorum recipiat, nisi, qui, praeter cognitionem praeceptorum doctrinae Christianae capitum, in literis latinis et graecis hadem profecerit, ut una cum caeteris disciplinae Alumnis, infimae Clasfe adscriptis, progreedi in discendo possit. In ea Clasfe autem quae tractentur, qui Auctores illustrationis luce collustrentur, quo-

niam horum quidem parentum nosse interest: non pigeat, hic breuiter docere. Scilicet praeter Grammaticam latinam Cellarianam, magni illius GESNERI opera emendatam, et Graecam Hallensem, e Graecis Euangelium Lucae, e Latinis autem PHAEDRVS, POMPONIVS MELA, (Quid iftud hominis? multi admirabundi querent) CORNELIVS NEPOS, EVTROPIVS, in primis *Selectae Historiae Heusei*, et *Chreſtomathia Ciceroniana* tractantur, adjuncta etiam facultate, aliquid e lingua germanica in latinam ita transferendi, vt ne bono illi PRISCIANO, haud merito, injuria fiat. Haec eo consilio hac veluti tabula publica proposuimus; vt parentes, filios suos ad nos aliquando missuri, cognoscant, quoque in literis latinis et graecis filios progressos esse oporteat, qui in scholam aliquam Electoralem recipi, in eaque bonis literis cum fructu operam dare velint. Nam, si harum literarum rudes ad nos peruerent: aut illico rejiciuntur, aut, nisi vno, alteroue anno exacto haud fallacia diligentiae, ardorisque discendi documenta dederint, cum suo et parentum dolore schola jubentur exire. Quem vtrorumque dolorem quoniam hac Prolusione, quantum quidem facultatis nostrae fit, magnopere cauere velimus, cum et nos ipsi pro animo nostro, ad concipiendum aegritudinum fensum perquam molli, in doloris alieni societatem facile venire soleamus: parentes etiam atque etiam rogamus, quin per filiorum ipsorum salutem obtestatur, vt omni studio iis literarum latinarum graecarumque elementis eos mature aut ipsi imbuant, aut per alios, idoneos ad hanc rem, imbuendos curent, vt suo tempore ad nos missi in spectatione profectuum scholastica, eaque priuata, de more majorum recepta, et Renouata Constitutione Scholastica confirmata, ii reperiantur, qui in Alumnorum censum recipi et debeant, et possint. Quodsi parentes ipsi vel ob hujus rei inficitiam, vel ob munieris, quod obeunt, grauitatem, (quamquam honesta educatione, prudentique institutione librorum nihil grauius iis esse debet) vel ob negotiorum, quibus distractahuntur, multitudinem, vel ob tempus, quod multi sibi esse mentiuntur, vel propter laboris fugam, vel ob aliquam quamcunque causam filios suos initii harum literarum imbuere non possint: id certe pro officii paterni religione curare debent, vt alius, qui ad docendum aptus atque industrius, a bonis literis satis

PARENTVM CVRAE COMMENDATA 21

satis instructus, laboris patiens, et liberorum in primis, ipsi committendorum, amans est, huic muneri obeundo diligenter, et curiose quaeratur. In tanta autem sic dictorum *Informatorum* copia, quorum haud pauci, necessitate coacti, vili aliquo pretio opellam suam vltro et humillime offerunt, si ipsi dilectum facere non possint: adhibeant vnum aliquem virum, cuius in ea re notio, illorumque hominum notitia est, vt aliquem, virtute, probitate, doctrina, docendi facultate, et industria in primis spectatum ipsis commendet. Magna profecto in horum hominum dilectu cautio, magna prudentia adhibenda est, cum plerunque hi magistri, qui in doctrina perquam mediocri, si non prudentioribus, sibi ipsi tamen multum jam sapere videntur, et omnis adeo doctrinae admonitionisque falubris impatientes sunt, de peruerfa instituendi liberos ratione fidelissime admoniti, vehementer indignentur, ingenioque fruantur suo. De qua re jam olim QVINCTILIANVS, optimus sane instituendae, formanda eque iuuentutis magister (Lib. I. Institutt. c. I.) questus est his verbis: *De Paedagogis*, (Informatoribus) *hoc amplius dictum sit, vt aut sint erudit plane, quam primam curam parentum velim: aut se non esse eruditos sciant.* NIHIL enim est pejus illis, qui, paullum aliquid ultra primas literas progressi, falsam sibi scientiae persuasionem induerunt. Nam et cedere praecipiendi peritis indignantur, et veluti jure quodam potestatis, quo fera hoc hominum genus intumescit, imperios atque interim saevientes, stultitiam suam perdocent. Neque vero in hac re, gravissima sane, futuram quippe liberorum fortunam attingente, spectandum est, quam vili pretio ille magister domesticus suam operam, instituendique laborem offerat, ac veluti vendat: sed quam honestus, quam probus, quam aptus docendo, quam amans sit verae salutis liberorum, ipsius fidei, curae, institutionique tradendorum: de qua re multi ne cogitant quidem. Τέτο γάρ εἰ φρεγτίς Ἰπποκλέας. Saepe audiuiimus quosdam, cum non sine quadam indignatiuncula narrarent, multos parentes in quaerendo aliquo magistro domestico non tam de virtutibus ejus necessariis, paullo ante commemoratis, quam de eo esse follicitos, quanti iste homo suum instituendi laborem aestimet, eumque optimum maximeque idoneum habere, qui opellam suam tam vili pretio vendat, quo ne lignicida quidem alicui operam suam

C 3

locare,

22 RENOVATA CONSTITUTIO SCHOL.

locare, atque addicere velit. Quod si verum est, (nam nihil certi hujus habemus dicere:) mirum profecto non est, tot pueros scholis Electoralibus omnium fere elementorum literarum rudes committi, cum tam egregios magistros habuerint. C R A T E T E M, PLVTARCHVS aliquo loco tradit, in optatis habuisse hoc, vt sibi aliquis locus celsissimus Athenis daretur, vnde omnes se audire possent clamantem: *Quid agitis homines, qui summo studio rem, diuitiasque augetis, filios vero, quibus eas relinquatis, parum curatis:* quibus allatis bene subjungit PLVTARCHVS, hoc nihil aliud esse, quam *de calceo sollicitum esse, pedem autem parum curare.* Neque hodie, aut nudius tertius demum, sed jam olim ista fordida quorundam parentum avaritia in liberis instituendis animaduerfa est. Quidam cum ARISTIPPO, vt apud LAERTIVM (Lib. 2, 10.) est, filium suum instituendum tradere vellet, ab eo autem mercedem quingentiarum drachmarum postulari audiuisset: *Ego tanti, inquit, emere mihi possum mancipium:* Cui Philosophus, tu vero, regerit, eme, et duo habebis mancipia. Sed haec tota res nihil ad nos, nisi haec tenus, quatenus institutionem publicam in scholis Electoralibus attingit. In his enim scholis doctoribus saepe tristis necessitas imponitur haec, vt, quod XENOCRATEM, auctore LAERTIO, (Lib. 4, 10.) fugisse scimus, qui adolescentes institutioni ipsius committendos, Geometriae autem rudes, rejicere solebat his verbis: *πας ἐμὸν ἀνάτεται, οὐδὲ μέλανα non carinatur,* id facere et adolescentulis, bene jam robustis, qui, vti de vulgari prouerbio est, ne tria quidem STESICORI doprungit, cum labore perquam molesto, taediique pleno tradere cogantur, quae multis annis ante didicisse eos oportebat. Sed ταῦτα μὲν δὲ ταῦτα. Nolumus enim Καρπασίην κατεῖν.

De nobilibus sensibus deinceps disputare erat propositum. Sensus autem, quibus quidem hoc loco vtimur, cernuntur in opinionibus, quas de aliqua re conceptas tenemus, in judiciis, quae alicuius vel hominis, vel rei sive praefstantia, sive vilitate serimus. Et ex his opinionibus, ex his judiciis oritur illa animi affectio, qua erga rem ipsam, aut hominem aliquem ferimur et mouemur. Qui enim alii veluti fontes amoris et odii, animi vel amici, vel alieni, cupiditatis et auerstationis alicuius vel hominis,

PARENTVM CVRAE COMMENDATA 23

hominis, vel rei sunt, quam opiniones et judicia, quae animus noster vel de homine, vel de re aliqua ferre solet? Quodsi in nosmet ipsos descendimus, et internuim animi nostri sensum veluti in judicium adhibemus: inueniemus, affectionem animi nostri in vtramque partem non aliunde, nisi ex opinionibus, judiciisque, proficisci. Nam, vti causa frugum in seminibus inclusa latet: ita causa, ob quam erga aliquem hominem, vel rem in vtramque partem adsecti sumus, est in opinionibus, quas de utroque firmiter tenemus, in judiciis, quae de vtroque ferimus. Docet hoc sius quemque sensus internus, qui quidem non plane hospes et peregrinus in suis ipsis veluti aedibus est, nos, vti de homine aliquo, vel re quadam sentiamus et judicemus, ita etiam vtrumque vel amare, aut odire, vel magnificere, aut nihil aestimare, vel expetere, aut auersari, adeo, vt sensus, de quibus hic loquimur, cernantur in opinione et persuasione animi de hominis, vel re alicujus praestantia, dignitate, bonitate, vel contra, propter quam vtrumque in honore habemus, admiramus, amamus, et expetendum, vel contemnendum flocci facendum, fugiendumque arbitramur. Et hi quidem sensus nobiles, (h. e. verae opiniones, recta judicia de pretio rebus statuendo,) tenerae aetati instillandi, et quodammodo ingenerandi sunt. Iam, cum Religione nihil praestantius, nihil sanctis et venerabilis, nihil, quod majori studio expetendum sit: omnes parentes, aut qui eorum vices obtinent, in primis et praecipuis officiis habere debent hoc, vt teneris adhuc liberorum animis eas de Deo opiniones, ejus maiestate, perfectione, omnibusque omnino virtutibus, bonitate imprimis, sapientia, sanctitate et iustitia mature instillent, instillatasque sermonibus crebris, venerationis erga adorandam illam Dei majestatem plenissimis, indies magis, magisque alant atque confirment, vt amor et reuerentia erga Deum iis ingeneretur, contra ea auersatio et odium erga omne id, quod aduersetur sanctissimae ejus Legi, voluntati que, excitetur. Ad ejusmodi sensus nobiles, homine christiano dignos, tenerae adhuc aetati instillandos permultum faciet, si crebris sermonibus ei persuaseris hoc, vt certissime credat, animoque penitus infixum habeat, nos omnes a Dei viuis potestate pendere, nos omnes nostras, bene, beateque viuendi rationes



tiones vnicē in eo suspensas habere, omnia, quibus vtamur et fruamur, soli ejus benignitati deberi, nos a tam benigno Patre ad delicias vsque amari, non solum hoc nomine, quod opus ejus, liberique simus, sed etiam, idque in primis, propter Christum, qui nos acceptos ei, carosque reddiderit, omnem fortunam in ejus potestate positam, et quidquid immittat, quamvis ingratum et acerbum opinionibus, judiciisque nostris, saepe in fortuna aduersa male fanis, videatur, id et ejus sapientia sanctitate esse dignissimum et rationibus nostris conuenientissimum, saluberrimumque, et quae hujus generis multa alia sunt, mature teneris animis tradenda, et quacunque occasione siue oblatā, siue anquisita veluti imprimenta. Haec instituendi ratio, facta in primis ita, vt liberi ex ipso docentis studio, vultu etiam, animū, reverentia erga tam venerandum Numen, redundantem, facile perspiciat, vtilitatis habebit hoc, vt non solum mature sensus, et Dei maiestate, et homine christiano dignos, concipient, conceptos firmiter teneant, et cum ipsis annis alant atque confirmant: sed etiam vitae rationem ita instituere studeant, vt cultum majestati Dei conuenientem praestent, omnes actiones suas non externas solum, sed internas etiam, easque in primis, ad eum componant, diligentissimeque caueant, ne quid committant, quo ejus sanctitatem laedant, justissimamque indignationem et iram concident. Suus quemque sensus internus docebit, quam magnam, quam salubrem per omnem vitam vim in animo suo habuerint pietatis, virtutis, honestatisque praecepta, quae, veluti frugifera semina, tenera adhuc aetate, nulla pruarum opinionum, consuetudinumque contagione infecta, insita sint. Felices! qui in tenellula adhuc aetate sic instituuntur, et formantur. Feliciores! qui hanc docentis institutionem in rem suam, vtilitatemque convertunt, eamque per omnem vitam, tanquam fidelissimam verae felicitatis magistrum, sequuntur. Hic vero cum in eo simus, vt de sensibus, ad Religionem pertinentibus, disputemus: ab hoc loco non abhorrens fuerit, de patientia, cui liberi teneris adhuc annis adsuēsciendi sunt, aliquid dicere. Nam hujus virtutis exercitatio vti est per omnem vitam nostram vtilissima, maximeque necessaria: ita ejus praeceptio omnium maxime negligi vulgo et omitti solet. Si qua est virtus,

PARENTVM CVRAE COMMENDATA 25

virtus, vti praestantia, vtilitateque sua fructuosissima, ita ad exercendum, tristi occasione diuinitus oblata, difficillima et acerbissima; est profecto *patientia*. Humana vita, quamvis beata, prosperaque decurrentis fortuna, tamen, quoniam humana est, variis, hisque saepissime ingratis et acerbis vicissitudinibus, casibusque atrocissimis est obnoxia. Quam necessarium igitur, quam vtile, et per omnem vitam frugiferum erit, teneram adhuc aetatem huic virtuti exercendae adfuefacere, vt sensim, sensimque hujus rei difficilis illius quidem, maxime necessariae tamen, exercitio adfuefacta maturioribus annis, quicunque casus aduersi diuinitus acciderint, eos humanitus, h. e. animo aequo, Deique prouidentiae, benignitati, auxilioque confidente, ferat. Minus querelarum, minus erga Dei sapientissimam gubernationem indignationis, minus desperationis, ad quam saepe homines in rebus aduersis adaeti sibi ipsi morteni confescunt, in hoc mundo foret, si ad hujus tam necessariae virtutis, patientiam puta, exercitationem a teneris inde annis fuissent adfuefacti. Febricula aliqua corripitur, aut alio quodam morbo leui infans tentatur: parentis est, eum blande et amanter docere, hoc, quidquid incommodi sit, ei diuino, eoque sapientissimo et saluberrimo consilio immisum, idque factum esse ea de causa, vt mature adfuefiat aequa et patienter ferendis casibus aduersis, quos, quo adultior factus fuerit, eo plures, grauioresque perferre debeat: vitam humanam ita ferre, vt saepe cum rebus aduersis conflictandum, neque unquam sperandum sit, fore, vttota prospero et aequabili rerum cursu fluat. Necessarium igitur, et ex ipsius re esse, vt huic virtuti, quamvis ingratae, et ad exercendum difficulti, mature adfuefiat, ne adultior factus, vbi cum multo pluribus, atque iis atrocioribus casibus conflictandum sit, animum despondeat, deque mentis gradu dejiciatur. Haec, et alia hujus generis praecepta, hae doctrinae, si teneris adhuc liberorum animis quacunque occasione amanter traduntur: maturioribus annis cum scholis publicis traditi, tum suo tempore munieribus publicis obeundis admoti, quidquid aduersi prouidentia diuina, omnipium rerum humanarum gubernatrix sapientissima, immiserit, humanius, aequiusque ferent. Et haec quidem de sensibus, ad Religionem pertinentibus. Quod autem sensus, seu opinio-
nes
supras

D



nes et judicia de rebus humanis, earum praestantia vel vilitate, justoque adeo pretio ponendo attinet: in eo teneri adhuc libero-
rum animi mature ita instituendi, ita formandi sunt, vt quid de
iis sentiendum, judicandum habendumque sit, probe discant at-
que cognoscant. In quo quidem innumeri fere homines, ob hu-
jus rei institutionem, in tenera aetate neglectam, peccare, et
male sentiendo, judicandoque in transuersum abripi se, auferri-
que patiuntur. Quotus quisque enim est, qui de rerum huma-
narum pretio, dignitateque recte sentiat et judicet, atque ita
erga eas adficiatur, vt earum conditio postulat? Quam multi
sunt, qui de rebus humanis, quamvis fluxis et caducis, nihil so-
lidi, aetatemque laturi, habentibus, et non, nisi imperitorum,
stolidorumque animos et oculosvana deceptriceque specie praes-
tringentibus, perquam magnifice sentiant, immane quantum
preium iis ponant, quin summam felicitatis iis contineri arbi-
trentur? De generis claritate, de Nobilitatis praestantia auri,
diuinarumque fulgore, aedium magnificentia, amplissimorum ho-
norum superbis titulis, gloriae splendore, de sumptuosa famu-
litii pompa, multisque aliis ejusmodi bonis putatitiis, rebusque
vanis, quae saepe stultissimis etiam et indignissimis obtingere so-
lent, quotusquisque est, qui magnifice et honorifice sentiat, et
cum has res ipsas in summa felicitatis humanae ponat, tum eos,
quibus obtigerint, eo nomine beatissimos judicet? Ex isto igno-
bili sensu, ex isto male fano iudicio id oriri solet, vt istas res non
solum maximi aestimandas, sed omnibus votis expetendas sibi
putent. Parentum igitur est, inter alia liberos suos in hac re
ita instituere, vt doceant, omnia haec ad *αδιάφορα* seu *res medias*,
h. e. ad eas pertinere, quae per se naturaque sua neque bonae,
neque malae sint, sed eiusmodi conditionis, perinde ac sit animus
illius, qui iis vtatur, adeo, vt persuasum habeant, penitusque
mentibus infixum, veram hominis christiani dignitatem felicita-
temque non a rebus caducis et fluxis, animos, oculosque impe-
ritiae plebeculae capientibus, comparandis, fruendisque profi-
cisci, sed Religionis, verae in Deum pietatis, virtutisque stu-
dio, recte factorum conscientia, integritate vitae, magnitudine
animi, officiis Deo, et hominibus publice, priuatimque sincero
animo praestandis, et ejusmodi aliis virtutibus niti et ynam esse,
eamque

eamque verissimam, splendidissimamque Nobilitatem, non generis, sed animi, quae non Naturae necessitati, fortuitaeque nascenti sorti, sed virtutis praestantiae debeatur. Commoda in primis occasione, quae non raro se se offert, possunt vnius, et alterius hominis exemplo, ad persuadendum per quam idoneo, ipsisque praecceptis efficaciore, liberos docere, quam profunde hunc v.c. inanis ista gloria, vanique honoris amplitudo merserit, illum opum affluentia in fumina perniciem detruerit, alium blandae voluptatum illicitarum illecebrae ad grauissimorum dolorum cruciatum traxerint, verbo, quam multi his bonis putatius perierint. Haec, et hujusmodi generis alia si parentes omni occasione, qua inciderit sermo de rebus humanis, bonisque externis, v. c. de generosa et nobili stirpe, de diuiniis, honoribus aliisque rebus humanis, splendore vano animos, oculosque decipientibus, ita exponunt, vt de iis contemptim, vel cum aliqua *ἀδιαφορίᾳ*, e fono vocis, et vultu etiam elucecente loquantur, contra, vbi de Religione, rebus diuinis, virtute, celsitudine animi etc. dicendi occasio est, loquantur ita, vt reuerentia, admiratio et amor harum rerum liberorum animis ingeneretur, haec, ergo, si parentes mature, crebroque tradunt, grauiterque injungunt: eiusmodi sensus nobiles ethonesti teneris animis sensim ingenerabuntur, et crebra, diligentique harum rerum cogitatione, veluti alimento aliquo, indies magis, magisque firmati corroborabuntur. Plura de vtroque horum sensuum genere defideraturo satisfaciet Summe Reuerendus IO. AVG. ERNESTI in eximia illa *de Disciplina Christiana* Disputatione. Caeterum, non abhorrens ab hoc loco fuerit, de amore patriae, tenerae aetatulae instillando, aliquid subjungere. Quae res, quamquam permagnam vim per omnem vitam habere, patriaeque nostrae per multum commodi afferre potest: tamen in educatione et institutione puerilis, juuenilisque aetatis a plerisque fere omnibus, veluti nulla animaduersione, aut cura digna, negligi solet. Constat veteres Romanos in aliis egregiis institutis habuisse et hoc, vt liberis suis a teneris inde vnguiculis opinionem afferrent, et cum ipso fere lacte materno instillarent hanc, vt persuasum haberent, proximum locum secundum Deos obtinere patriam, atque adeo majorem ei pietatem, majorem amorem, quam ipsis

parentibus, deberi. Haec opinio, cum ipso fere lacte materno hausta, haec animi persuasio de amore patriae debito, indies magis, magisque confirmata, tam altas radices in eorum animis egit, et succedente tempore tam pertinax euasit, vt non, nisi cum vita ipsa deponeretur. Hic autem amor patriae, quis in antiquitatis Romanae memoria cognoscenda tam egregie hospes est, quin sciat, quantam vim in ciuium Romanorum animis habuerit, quantaque commoda Reipublicae attulerit? Hic amor patriae iis opinionem penitus infixerat hanc, vt putarent, nihil se dignius, nihil optabilius, nihil ad dignitatem ciuiis Romani glorioius facere posse, quam hoc, vt patriae suae publice, priuatimque opera sua sine ullo commodo, saepe etiam cum incommodo suo prodeßent, grauissimos labores, durissimasque molestias pro Republica susciperent, praesentissima pericula subirent, quin, si salus patriae exigeret, vitam ipsam profunderent, seque adeo pro salute publica deuouerent. Perquam optabile esset, vt parentes christiani hoc paeclarum veterum Romanorum institutum secuti ad usum transferrent, in rem, vtilitatemque patriae nostrae, cui Deus semper faueat! conuerterent, atque teneris liberorum suorum animis amore in patriae instillarent. Quod quidem commodissima ratione fieri possit hac, si eos crebro admonueris, quam magni beneficii diuini sit, in ipso veluti gremio verae Ecclesiae natum esse, cum eodem tempore sexcenti alii infantes in aliis terris, vbi vel coeca superstitione, vel errassa veri Dei ignorantia dominetur, in lucem editi sint: quantae felicitatis sit, in ea terra educari et institui, in qua primum lux purioris doctrinae christiana, a tot inde seculis innumerorum errorum superstitione obscuratae et deturpatae, exorta breui radios suos splendidissimos per omnem fere terrarum orbem sparserit: quanti hoc sit aestimandum, quod securi, tranquillique viuant in ea terra, cui regundae diuino aliquo munere concessus sit Princeps, vti Optimus, ita Sapientissimus, et quo nullus nobis neque clementior, neque salutis ciuium suorum amantior, studiosiorque, etiamsi mente fuisset, cogitationeque fingendus, obtingere potuisset, vno verbo, dulcissimum omnium Saxoniae ciuium Delicium. Haec, et multa hujus generis alia si teneris adhuc liberoram animis crebro proponuntur,

tur, ita tamen, vt sine vlo aliarum terrarum contemptu fiat; non dubium est, quin habitura sint hanc vim, vt sensim, sensimque verum patriae amorem instillent, suoque tempore ci-
ves reddant, qui in officiis suis primis ponent hoc, vt omnia
sua in commodum patriae conferant, quin dulce quodammodo
putent, pro patria mori.

Restat, vt de venustate morum, cultusque munditie vel tribus verbis dicamus, quod vtrunque vti hac aetate nostra cum omnibus paullo honestioris conditionis hominibus, tum haud scio an literarum studiosis in primis necessarium sit, ita tam arcta colligatione connexum continetur, vt non facile alterum ab altero se Jungi, dirimique posse videatur. Et de necessitate quidem hujus vtriusque rei non esse putamus, quod multis dispu-temus, cum vnuquisque paullo humanior, nec plane oscitans morum nostrorum spectator ipse animaduerterit, necesse sit, quam delicata haec aetas nostra, quam fastidiosa, et quodammodo morosa sit in rebus externis, quae non nisi in oculos incur-rrunt, spectandis et diiudicandis. Innumera fere exempla doc-ent, posse aliquem in ingenii, doctrinaeque mediocritate, si venustatem morum, cultusque munditiem commendatrices ha-beat, facilius sibi aditum ad aliorum fauorem, fortunamque futuram munire, quam multos alios, qui et ingenio paestantes, et a bonis literis probe ornati, ab his autem blandis animorum conciliaticulis fint destituti. Quod quidem non est, quod magnopere miremur. Nam, cum plerique hominum oculorum sen-su magis, quam mentis judicio duci se, regique patientur, magisque externas, quam internas virtutes spectent: ad judican-dum non difficile est, majorem viam habere faciliusque animum mouere solere, quae sub visum, adspectumque cadant, quam quae non, nisi mente, et intellectu cognosci possint. Haec autem morum elegantia et venustas, cultusque munditiae vti omnibus omnino, quos Natura non plane ad fordes abjecit, stu-diosissime commendanda, ita studio bonarum literarum consecra-tis maxime necessaria est, non solum hoc nomine, quod *humanita-*
tatis, h. e. literarum humaniorum studiosi sunt, quibus discendis necessario operam prius nauare debent, quam ad altiores do-

etrias in Academia rite, et cum fructu percipiendas accedere volunt, sed etiam hac de causa, quod plerique eorum maturioribus annis puerorum, adolescentulorumque ingenii instruendis, animis formandis, moribusque fingendis atque perpoliendis adhiberi et cupiunt, et solent. In quorum hominum dilectu faciendo praecipuae has duas virtutes commendatrices, venustatem morum puta, cultusque munditie, requirunt. Et id quidem jure. Quomodo enim possit liberos, formandos alicui commissos, humaniores, politiores, et cum in cultu, tum in sermone elegantiores, venustioresque reddere, qui ipse et a rusticitate insignis est, et cultu deformis, horridusque adeo incedit. Quare fidelissime cohortamur, quin, humanissime rogamus parentes, qui quidem filios suos, literarum studiis consecrandos, scholae nostrae Eleitorali suo tempore commissuri sunt, ut inter alia diligenter carent et hoc, ut liberi, quemadmodum morum venustorum, ita et munditiei, (non odiosae istius et putidae foeminarum, formosos oculis venantium, propriae, et quodammodo instiae) elegantis tamen et decorae cum corporis, tum vestium amantes, studiosisque mature siant. Nam ista dissoluta munditiei cura, ista agrestis in vestitu negligentia liberorum diuturnitate temporis eam vim habet, ut, consuetudine contracta, adultores etiam, et viri adeo facti, sordibus deformes, vestituque et toto cultu incomposito notabiles non sine risu et contemptu hominum urbaniorum, politiorumque incendant. *Adeo in teneris confusione multum est!* Sunt sane multi puerorum et adolescentulorum (longa experientia edocitus haec scripsi) qui suis sordibus, porcellorum instar, delectantur: qui, et si ab ingenii, animique dotibus egregiis commendabiles sunt; tamen, ob hanc cultus rusticitatem non facile fauorem, gratiamque hominum politiorum consequantur. Et sane, quis juuenem, qui ob sordes dentium, nunquam purgatorum, ob grauem animam, odoremque foede exhalatum, ex ea ipsa negligentie munditiei cura fere contractum, molestus et intolerabilis est, aut manibus, sordium spurcitie oppletis, vestibusque hinc inde laceris incedit, aut crinibus hirsutis et erectis, vagisque per collum pendentibus horret, aut aliis quibusdam sordium maculis insignis conspicitur, quis, igitur, eiusmodi juuenem facile admittat, lubenter secum retineat, et vel aliquo

loquio dignetur, aut liberis adeo instituendis praeficiat? Non pigebit, subjungere iis, quae in hanc rem disputauimus, verba magni illius NEANDRI, qui aliquo loco sic; *Videndum est, Parentibus, et Praeceptoribus, ut totus cultus liberorum, et discipulorum, vultus, gessus, et habitus corporis ingenuam modestiam et revercundam indolem prae se ferat: ut sint elegantiae obseruantissimi. Ne vallicant tibii, nec sint gesticulosae manus, ne mordeant labra, scabunt caput, nec fodiant aures. Ne ambulando gressus imitentur histriorum, et quasi fercula pomparum gestantium, et quotiescumque gradum transferant, modulos quosdam seruare videantur, qui gressus, ut pestis, fugiendus. Nec cursum nimis ambulent, nec lente nimis. Gressus sit probabilis, in quo tranquillitatis vestigium: motus sit purus et simplex. Nihil fucatum, nihil adfæctatum placeat. Motum natura informet: si quid autem in natura vitii est, emendet industria.* Haec ille.

Sed indicandum nunc est consilium, quo commoti ad hanc Prolusionem scribendam accesserimus. Scilicet producendi sunt V, honestae indolis, bona deque spei juvenes, qui in memoria diei Illustris Moldani nostri Natalis grato, pioque animo recomienda suae qualisunque dicendi facultatis specimina edent. Ecce Tibi eorum nomina:

I. CAROLVS ADOLPHVS SCHVLZIVS

Mühlbeca - Saxo, dicet

De sapienti, eaque vere paterna cura salutis totius Saxoniae, a FRIDERICO AVGUSTO nostro OPTIMO Renouata Constitutione Scholastica nuper declarata.

II. CONSTANTINVS GOTTL. RAVSCHIVS

Grosstrebena - Saxo

De beneficij magnitudine nupera illa Constitutione Scholastica toti Saxoniae a Sapientia FRIDERICI AVGUSTI nostri tributi.

III. CA-

TANINICIA C 32)
III. CAROLVS CHRISTOPHORVS
HIMMLERVS

Beerwalda - Misnicus

De verae religionis cognitione et studio, Renouata Con-
stitutione Scholastica in primis et praecipuis officiis
commendato.

IV. FRIDERICVS GOTTH. de SCHINDLER

Eques Misnicus

De ingenii, animique cultura jungenda.

V. IOANNES GOTTLIEB MULLERUS

Dresdenis

De virtute et doctrina, veris, iisque nunquam Fortunae
lubidini obnoxii bonis.

Ad quas Orationes audiendas ut a. d. XIV. Septembr. ipso
scholae nostrae die Natali, hora IX. sacris finitis in Auditorio
nostro majori frequentes conueniant, qui bonis literis, nostro-
que adeo Moldano fauent, humanissime et officiosissime roga-
mus. P. P. in Illustri Moldano ipsis Calend. Septembr. A. R.
S. MDCCLXXIV.



(X2298526)

!

A.

en
en

et,
me

ür
erß

es

ist

hys

er-

ine

on



Vh
43

GK 175. 38
**RENOVATA
CONSTITVTIO SCHOLASTICA
PARENTVM CVRAE
IN DISCIPLINA DOMESTICA
COMMENDATA**

**PROLV SIO
DECLAMATIONIBVS V
IN
ILLVSTRI SCHOLA
ELECTORALI GRIMMANA**

A. D. XIV. SEPTEMBR. HORA IX. HABENDIS

P R A E M I S S A

A

IOANNE TOBIA KREBSIO
RECTORE

LIPSIAE

EX OFFICINA BREITKOPFIA

BIBLIOTHECA
MENCKAVIANA

